



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Hoc sacrum tempus Crisis est æternitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

nunquam negatur. Non supervacua mendicant lachryma veniam, ait sanctus Cyprianus, nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, spiritum sanctum non dubito aspirantem; Cum intueor flentem, sentio ignoscentem.

Serm. 46.  
de poenit.  
Petri.

Quod quidem tam proprium est & singulari lachrymis, ut etiam si expressam non peterent peccatorum veniam, veniam tamen obtinerent: ut egregie prosequitur sanctus Ambrosius. Lachryma, inquit, tacita quodammodo preces sunt. Veniam non postulant & merentur. Causam non dicunt & misericordiam consequuntur. Utiliores lachrymarum preces sunt quam Sermorum. Sermo enim interdum non totum profert negotium; lachryma semper totum prodit affectum.

Vide in 3. parte, Feria 4. hebdomadae 3. Beati qui lugent.

AD VERBA potro supradicta, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.

Vel ad ista: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, qua ad pacem tibi: & qua sequuntur Lucae 19.

Posset adungi vel conjunctim cum superioribus, vel separatim, haec Veritas, ad perfectam praxim Emendationis, plurimum efficax cum Divina Gratia.

Hoc Sacrum tempus Crisis est aternitatis.

Vel sic expressus.

Hi Sacri dies non minus diligenter sunt observandi pro salute animae, quam dies Critici pro sanitate corporis.

SIC Ecclesia suo in officio, dum Passionis tempus inchoat.

Isti sunt dies, quos observare debetis, temporibus suis.

RATIO EST, Quia idcirco pro sanitate corporis observantur quidam dies, dicti Critici, quod ex illis indicium plerumque fiat, vel indicium capiatur de statu sanitatis.

Sed hi sacri dies, hi sunt ex quibus capi possit indicium pro salute animae, id est, prout modo quique geret, inde sperandum vel timendum: uti pro aeterno salutis animae statui.

Ergo hi sacri dies non minus diligenter sunt observandi pro salute animae, quam dies Critici pro sanitate corporis, imò tanto id diligentius, quanto corporis sanitati salus animae praestat.

I. PUNCTUM.

PRIMA propositio posset explicari paulo latius ex ipsa, quae in morbis praesertim febrilibus apparet, experientia; dum certis quibusdam diebus, nempe septimo, decimo quarto, vicesimo primo & similibus, Natura morbi seu status morbidi, se apertius prodit: fit pugna quaedam in corpore, vires inter naturales, & morbi malignitatem; Contendit Corpus in seipsum pro seipso, dum latentem in se morbi causas expellere nititur, & se domestico liberare hoste. Quod si quidem feliciter ei succedat; si exudet, si copiosè, si toto corpore, si vi naturali non arte exquisita; tum prospera valetudinis certa spes capitur. Aut si è contra, corpus rigeat, vel in ludatiunculam, ut vocant, laboriosè dissolvatur; tunc metuendum est corpori, tunc periculosa vis morbi est & damnosa perniciès; Inde videlicet indicia capiuntur, inde judicium, si ve prognostica & praedicta; Unde ista naturalis pugna dicitur Crisis, quasi judicium, & dies quibus illa solet accideri, dies Critici, quasi decisivi, decretorii, aut velut arbitri & indices disceptationum naturae & morbi; Sic illi loquuntur qui de his scribunt. O si tam periti essemus in animae morbis vel cognoscendis vel sanandis! Omne Isr. caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Haec primò dicuntur de morbis nostris, tum de Christi vulneribus, quae sunt morborum remedia, si vellemus ea nobis apponere. Nec minorem febrem amoris esse dixerim quam caloris, ait sanctus Ambrosius, febris nostra in Lucano avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, ambitio, iracundia, & quotquot insunt vitia, tot sunt agnitudines animi; suntque animae certa perniciès, nisi prospiciat; qua de re fufius, multis in locis.

III. PUNCTUM.

SED hi sacri dies, hi sunt ex quibus, suo quodam modo, capi possint indicia pro salute

*Inte anima, sicut dictum est pro sanitate corporis.*

Nempe his diebus, talis pugna fit inter Synderesim & libidinem, inter Divinam Bonitatem & humanam perversitatem, inter Christi Gratiā & nostra vitia, ut prout cuique pugna successerit, de futuro salutis statu præiudicari possit. Cum enim hoc præsertim tempore repræsentetur nobis Christus velut ipirans in tormentis, & expirans in Cruce. Cum sit ex præcepto sacra celebranda Communio, cum paranda Confessio, cum alia Religionis instituta, modò sint accuratius excolenda, quis dubitet tum munificentissimum Dominum tua largius effusurum dona? suas abundantius communicaturum gratias? Quis nisi planè perditus & desperatus non sentiat singulares animi motus in amorem pietatis & in peccati odium? Quis non deploret suam intemperantiam, suam ferocitatem, suam libidinem, ac reliqua sua vitia.

Et horum quidem motuum communis sensus est, at longè dispar effectus: nam qui vocantis Dei Gratiæ respondet, neq; tantum à peccato, sed etiam ab amore perverlo, qui peccati radix est, penitus discedat; magnam sanè spem consequendæ salutis præbet, meritoque in eorum est numero, de quibus dicitur à Propheta: *In tribulatione sua manè con-  
surgens ad me: Venite & revertamur ad Domi-  
num. quia ipse capit, & sanabit nos, percussit &  
curabit nos, Virificabit nos post duos dies, in die  
tertia suscitabit nos, & vi vivemus in conspectu  
eius.* Sic ille, sic Spiritus ipse Sanctus prædi-  
cens & denuncians futuram ex his motibus  
quorundam animæ prosperam valetudinem  
& perpetuam beatitatem.

At contra: Si solis in animi motibus hæ-  
reat cuiusquam pietas, si nò ultra in tale pec-  
cati odium se protendat, ut jam omnino nol-  
lit peccare, si sacris feriis absolutis, ad pristinū  
redire cogitet genium, nec de arctiori delibe-  
ret disciplina, qua se deinceps contineat; tunc  
planè oppositum formatur iudiciū, tunc ca-  
vendus ei denunciatur interitus, & certa im-  
pendens pernicies. Audi enim, quid sequitur  
in eodem Propheta loco: *Quid faciam tibi  
Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia ve-  
stra quasi nubes matutina, & quasi ros manè per-  
transiens. Propter hoc dolavi in Prophetis; occidi*

*eos in verbis oris mei: & iudicia tua, quasi lux  
egredientur.* Id est; Ex his tuis gestis tam clarè  
judicari potest, quid de te futurum sit, quàm  
est ipsa lux clara & aperta. Cur porro? quia  
quo tempore formare debebas solidam piera-  
tem, quæ te ab omni deinceps peccato avoca-  
ret, tu contentus nonnullis quibusdā piis mo-  
tibus non ultra processisti, sicque tua devotio  
transactis festis transit, & velut nubes aut ros  
matutinus de repente soluta est; Hoc est ad  
aternam salutem valdè sinistram & infaus-  
tū. Quid enim tibi salvando potentius, quam  
quod suggeritur his diebus? Quid validius ad  
compungendam quantumvis duram Con-  
scientiam, quam *vivus ille sermo Dei & efficax, Hebr. 4.  
& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertin-  
gens usq; ad divisionem anima ac spiritus: Quā-  
ddnam verò sermo ille divinus subministra-  
tur abundantius, quam hoc tempore, vel effi-  
caciū, quàm cum de Christo patiente discri-  
tur? At nonne hoc est, quod modò exhibetur?  
Nonne ad hoc idcirco singulariter à Domino,  
Concionatores qui que excitantur, acuuntur,  
dolantur, & pene occiduntur, ut per Christi  
patientis & morientis viscera, te à peccato re-  
vocent, & in stabilem salutis viam te addu-  
cant? Nonne tu ipse vides, quàm sit id æquū  
& debitum? Et tamen paulò post perinde ac si  
Iudicia & facta essent hæc omnia, tam facili  
propensione liberio rem repetis vivendi licē-  
tiam! Actum est de te, peristi, aut certè tam  
certò periclitaris, quàm verè apta & oppor-  
tuna erant omnia, quibus in veritate, à mun-  
danis tenebris ad Lucem Evangelicam & ve-  
rè Christianam virtutem convertereris.*

Hoc nempe velut quoddam extremum re-  
medium, extremis nostris malis divina provi-  
dit Sapiētia, ut per Christi vitam & mortem  
resuscitemus, *Verebuntur*, inquit, *filium Matt. 21.  
meum; Nil ultra superest, hoc si non sanaris  
remedio, Insanabilis fractura tua, pessima plaga Ier. 30.  
tua, curationum utilitas non est tibi. IMMVN- Ezch. 24  
DITTA tua execrabilis, quia mundare te volui,  
& non es mundata à sordibus tuis, sed nec mun-  
daberis. Quibus enim opportunus modis?  
Quid tibi faciam, ait Deus, quid tibi ultra con-  
feram, quid à me expectes aliud, quam ut te  
novis illustrem luminibus, ad cernendū aper-  
tius, quid sit peccatum, quid peccatrix ani-  
ma, quid peccatis involuta, qualis est tua; vel  
te novis accendam ardoribus ad auden-  
dum*

dum melioris vitæ propositum? En quod intendendo his diebus, en quod præsto, quod fatago: *Mal. 3.* *Probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis catarractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Tu propterea tamen nihilo factus melior, in eadem perduras mente: & in omnibus his, ait Dominus, non est reversa in toto corde suo, sed in mendacio! nec putares inde capi damnationis tuæ tremenda præjudicia! O te insensatum si non id sentis! Audi rursus, quid de te Judex tuus pronuntiet: *V. A. eis, quoniam recesserunt à me, vastabuntur quia pravaricati sunt in me, & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Ego erudivi eos & confortavi brachia eorum, & in me cogitarunt malitiam. Reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus; Id est, arcus qui non rectè dimittit sagittam in scopum, vel cujus sagitta retorquetur in ipsum sagittarium: quasi diceretur, se ad necem ipsi designant, sua in se tela convertunt & arma, suis se bonis deriores faciunt.**

*Iohan. 3.* *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Hæc recta & probata iudicandi ratio, de periculo animæ, cum lucem perinde habet ac tenebras, cum diem illum, in quo lucebant ei Veritates saluberrimæ, quibus sanari poterat, sic elabi finit, ut perinde post in tenebris ambulet, ac si lumen non vidisset.*

## III. PUNCTUM.

**H**i sunt igitur dies, quos observare debemus. *Hi sunt dies non minus diligenter observandi pro salute anima quam dies Critici pro sanitate corporis. Quia non minus ex his de animæ, quam ex aliis de corporis periculoso statu iudicari potest, si salutem non operetur, detestando ut oportet: non solum omne peccatum, sed rem ipsam, quæ est causa peccati, ut sæpe dictum est. Dies tribulationis, & correptionis & blasphemia, dies hæc, quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi. Non est partus, nisi verè id efficias, quod concipis & promittis te facturum. Quo verò die id promittis, manifesta dies est tribulationis ac correptionis; & quia non promittis serio, aut nõ satis fideliter exequeris, rectè dies eia blasphemia dicitur, & dies detestatorius, dies Criticus quo iudicari potest, te in summo versari periculo; tibi valde à te timendum.*

*Is. 37.*

Nonne hoc ipsum est, quod in Iudæis plorabat Dominus, *quia si cognovisset & tu, &c.* quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! dies nempe ista, quæ sic gloriose Christus ingressus est Civitatem, quæ sic commoti sunt Cives, ut eum quasi Regem agnoscerent, dies eorum erat Criticus, si nempe perfitissent in illo pio affectu, si eius lequi consilia, si parere mandatis voluissent, si peccata deponere sicut laudatus ille Zachæus: hanc ipsam Domini vocem audissent & benedictionem accepissent, *Salus huic domui. salus huic Civitati, salus unicuique converso: sed quia mox à seipsis defecerunt, quia nihil de peccatis deponendis cogitarunt, idcirco mutata, in maledictionem benedictione, nihil aliud audiunt quam futuras impendentes pœnas, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ!*

Notanda hæc singulariter verba, quibus confirmat Dominus, quod jam à nobis dictum est, esse certum tempus, quo inter alia de salutis negotio præsertim agitur, in quo agnoscendo & observando tempore nisi simus lagaces & seduli, peribit temporis Gratia, quæ nullo unquam alio forsan occurrer. Unde & ipse Dominus: *Venient dies, quando desideretis videre unum diem filii hominis, & non videbitis. Et rursus: Cum videritis nubem ab occasu statim dicitis, nimbus venit, & ita fit. Et cum austrum flantem, dicitis quia aestus erit, & fit. Hypocrita faciem cæli & terre nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis, quod iustum est?*

Quod & multo ante per Prophetam illis exprobrarat, adducta similitudine volucrum: *Milvus, inquit, in caelo cognovit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini! Iudicium scilicet, quo Dominus de anima iudicat; Iudicium quod ipsa debet anima de Domino iudicare, sed alio plane diverso sensu, nempe agnoscendo tempus, quo sibi ab illo Gratia conferuntur, agnoscendo suam in his accipiendis & usurpandis fidelitatem, agnoscendo suum periculum nisi fideliter obsequatur, unde idcirco tam sæpe & graviter Apostolus: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiat, aut enim, tempore accepto exaudietis, & in die salutis adjuvati, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.**

Ecce:

Ecce nunc verè dies, in quibus ad salutem operandam non minus Gratia singularis nos adjuvat, quam natura corpus ægroti statis illis diebus, ut dictum est, ad sanitatem comparandam. Sic itaque cum Gratia singulariter operemur, atque hoc in primis penitus animo persuasum habeamus, totam illam operam nostram in hoc præcipuè positam esse, ut peccatum deponamus, & certum quoddam peccatum, quod uniuscujusque morbus est gravior, & mortis æternæ futura est causa, nisi feridè deponatur.

Hoc intelligendum, hoc inculcandum, hoc importunè & opportunè repetendum, non in jejuniis, non in precibus, non in peregrinationibus aut aliis quibusvis operibus ita positam esse operam, quæ à nobis exigitur, ad sanitatem animæ cum præfenti gratia recuperandam, sicut in peccato expellendo. Non est noster morbus, non orare his diebus, aut etiam non confiteri: sed hæc est tota mali labe, non mutare vitam aut non avocare animum ab illis rebus & objectis, quæ nos in peccatum solent inducere. Hoc est quod spectat parata Gratia, hoc est quod nos trahit, hoc est quod nos illam sequi possumus. Jejunaverunt Ninivita, saccis operiti sunt, & multis se dederunt lamentis; at nullo tamen istorum operum placatus dicitur Deus, sed tantum mutatione vitæ. *Vidit Deus opera eorum, inquit Sacer textus, at quam opera, quærit sanctus Chrysostomus, quod jejunaverunt? quod saccum induerunt? nihil horum, sed hæc omnia tacens intulit, Quoniam conversus est quisque à viis suis malis. Cernis quod non jejunium periculo eripuit, sed vita mutatio.*

Hoc est firmum quod dicunt propositum, quo sic muniri debet nostra Confessio, ut tam salubris sit futura, quam firmum fuerit

& solidum hoc emendandæ vitæ propositum.

Angeretur fortasse animus, laborabit in dissolvendis vinculis, quibus mundo tenetur, timebit famæ, pœnas metuet, & anxia futuri sollicitudine retardabitur, sed nihil horum vereatur, nec faciat animam suam, id est, animalem illam partem, quæ rationi & gratiæ se opponit, non faciat inquam pretiosiorum quam se. Hæc est Christi, hæc est pugna, hæc agonia, quam ipse Dominus subire voluit, ut nobis esset exemplo sic pugnandi & vincendi. Nonne sic Dominus in horto timere voluit, nonne inde agonia & sudor fluxit sanguineus? Sed timorem vicit nostræ salutis amor. Nos tum sibi præfentes fecit, & nostri gratia nihil duri, nil asperit reculavit.

*Sic deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem & Consummatorem Jesum; ut fufius Feria sequenti sexta. Concludat verò, aut alio quo voles loco, abscursum hunc illustret & accendat Divi Bernardi suavis ac potens; adhortatio: Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde quærite Dominum, & odite malum: poenitentes non verbo tantum & lingua, sed spiritu &*

*Dom. veritate. Quia verò non satis cecidisse piget hominem, ut videtur, qui adhuc manere disponit in lubrico: aut errasse, qui duccem non quærit, SIT VERA COMPUNCTIONIS INDICIUM, OPPORTUNITATIS FUGA, SUBTRACTIO OCCASIONIS. Alioquin timendum valde, ne dies ista, si quidem & ipsa posita est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, reprobet vos, vel tanquam manifestè alienos à Christo, Christo non communicantes, vel tanquam socios Iude, in quem intravit Satanas post buccellam.*

*Serm. 1. de Resurr. Dom.*

## FERIA SECUNDA. DE SECUNDO CHRISTI DOMINI Verbo.

*Amen, dico tibi, Hodie tecum eris in Paradiso. Luc. 23.*